

vim cognoscit mulierem sine raptu: & in expresso, licet non ita bene fundet, istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Gandi. Doctor antiquus summæ autoritatis in opere suo Malefic. in rubric. de multis questionibus dependentibus à statutis 1. column. quæst. 2. princip. versicul. Item pone questionem quæ mihi Bononiæ contigit de facto. Tenet etiam Albericus in leg. Raptores, Codic. de Episc. & Cleric. column. 1. & questione, & ibi notabiliter Paul. de Castr. 2. column. num. 4. idem Alberic. in leg. unica, Cod. de Raptu virginum, final. column. in fin. idem Alb. in 3. part. Statutorum 21. quæst. Joan. de Plat. in §. Sin autem, Institution. de publicis judic. final. column. & questione, notabiliter Raph. Cuman. in Consil. suis, consil. 95. incipienti, Christophorus, Hippolytus de Marsil. in diff. leg. unic. Cod. de Raptu virginum, 4. column. num. 12.

Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò quòd isto casu imponatur pœna mortis, & habeat locum dispositio prædictarum legum. Primò, quia hoc casu satis dicitur committi rapinam, cum per vim talis mulier fuerit cognita, & militat omnino ratio & dispositio prædictarum legum. Secundò per textum expressum qui hoc apertè probat in §. Item lex Julia, de Adulteriis, versic. 1. Institut. de publicis judic. ubi dicit text. quòd punitur quis pœna stupri, quando habet accessum ad aliquam mulierem, virginem, viduam vel honestam, nulla interveniente vi: dicit ibi Glossa quòd si interveniat vis, punitur pœna prædictæ legis unic. Codic. de Rapt. virgin. & similibus: ergo apertè dat intelligere quòd non requiratur raptus, sed sufficit violentia: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Baldus in leg. Si quis non dicam rapere final. column. & questione, Cod. de Episcop. & Cleric. pro qua sententia & conclusione allego expressam leg. 3. titul. 20. part. 7. ubi expressè dicit textus, quòd si quis rapiat aliquam mulierem honestam, vel eam cognoscat per vim, punitur pœna mortis, & prædictis pœnis: ergo apertè vult quòd non requiratur raptus.

42 Tertiò principaliter quæro, si quis rapuit virginem immaturam nondum viri potentem, & sic minorem duodecim annorum, & eam carnaliter cognovit per vim; an puniatur pœna mortis & aliis pœnis de quibus in prædicta leg. unic. Cod. de Raptu virginum cum similibus? & videtur quòd non, sed mitiori pœna: quia cum talis virgo non sit potens ad copulam, non videtur amittere suam virginitatem, nec videtur recipere damnum irreparabile: unde delictum non dicitur consummatum, sed magis attentatum: pro qua sententia & conclusione facit

etiam text. in diff. l. unic. Cod. de Raptu virgin. versic. Maximè, cujus verba sunt: Maximè cum virginitas vel castitas corrupta restitui non potest, facit etiam text. notab. in leg. Si uxor, §. Si minor. ff. ad legem Juliam de Adult. ubi habetur, quòd si mulier minor 12. annorum nupta est alicui viro, & durante minore ætate commisit adulterium, non potest tamquam adultera accusari: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Guillelmus de Cuneo, in l. Si quis non dicam rapere, col. 2. num. 3. Codic. de Episc. & Cler. ubi dicit, quòd per hoc evasit quemdam à pœna mortis; tenet etiam & sequitur Palac. Rub. in sua repet. §. 56. fol. 34. col. 2. vers. Facit ad prædicta. Sed his non obstantibus ego teneo contrariam sententiam, imò quòd talis raptor vel delinquens qui virginem immaturam & nondum viri potentem carnaliter cognovit vel defloravit, teneatur pœna mortis, & aliis pœnis contentis in diff. l. Un. Codic. de Rapt. virgin. ac si virgin. maturam & viri potentem deflorasset. Primò per text. notab. in leg. Si quis aliquid, §. Qui nondum viri potentem, ff. de Pœnis, ubi habetur quòd licet pro simplici stupro sine vi commisso in aliquam virginem imponatur pœna confiscationis medietatis bonorum, & si delinquens sit vilis persona, imponatur coercitio corporalis arbitraria cum relegatione, ut in §. Item lex Julia de adulteriis, vers. fin. Institut. de public. jud. & dixi suprà ista repet. tamen illud est verum quando quis corrumpit & defloravit virginem maturam, & viri potentem, & sic majorem 12. annorum; secùs verò si corrumpit & defloravit virginem immaturam & nondum viri potentem, nec aptam ad copulam, & sic minorem 12. annorum: quia tunc nedum punitur pœna ordinaria stupri: sed etiam alia majori & acriori pœna: ergo quando tale delictum est commissum per vim, debet teneri delinquens pœna mortis ordinaria, & aliis pœnis contentis in prædict. leg. unic. Codic. de Rapt. virgin. cum similibus, text. est notab. & expressus in diff. §. Qui nondum, cujus verba sunt: Qui nondum viri potentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam relegantur, aut in exilium mittantur: & ita intelligit illum text. Faber. in §. Item lex Julia, Institut. de public. jud. in fine, & ibi Nicol. de Neapol. Angelus in tract. Matrim. in parte, chemai adulterato, col. 15. vers. Quæro quæ sit pœna stupri. Paulus Grillandus in tract. de Pœnis omnifariam coitus quæst. 7. column. 2. num. 6. & licet Guill. & prædicti DD. illum textum pro sua opinione adducunt, tamen decepti sunt: quia non loquitur in stupro commisso per vim, sed sine vi: unde potius est casus apertus pro mea opinione, quàm pro sua.

Secundò pro hac sententia & conclusione considero text. notabilem & expressum in diff. leg. unic. Cod. de Rapt. virg. ibi, aut tutoribus vel curatoribus, &c. ubi disponitur quòd raptor mulieris repertus in flagranti crimine possit occidi à parentibus vel consanguineis, vel etiam à tutoribus vel curatoribus talis mulieris: ergo apertè dat intelligere quòd dispositio illius text. & ejus pœna habet locum in eo qui rapit vel per vim carnaliter cognovit virginem immaturam, minorem, & nondum viri potentem.

Tertiò facit text. in diff. leg. Si quis non dicam rapere, Cod. de Episcop. & Clericis, ubi pro solo attentato raptus imponitur pœna mortis, licet non sit consummatum delictum: ergo à fortiori imponetur in nostro casu & questione, cum delinquens fecit quòd in se erat; & in expresso istam meam sententiam & conclusionem, licet non sic bene fundatam, tenet Bald. in diff. leg. Si quis non dicam rapere, fin. col. & quæst. Petrus de Vernia in Addition. ad Jacobum Butric. in leg. Raptores, eod. titul. penult. col. vers. Sed quæro aliquis, Nicolaus de Neapol. in §. Item lex Julia, de Adulteriis, 1. col. Institut. de Publicis judiciis.

43 Quartò principaliter quæro, an raptor qui per vim cognovit aliquam mulierem possit eum ea legitime contrahere matrimonium, & ex hoc evitare pœnam delicti? In quo articulo breviter & resolutivè dico, quòd de jure civili non potest cum ea contrahere matrimonium, nec ex hoc evitabit pœnam: text. est in diff. leg. Una. vers. Nec si facultas, Cod. de Raptu virgin. cujus verba sunt: Nec facultas rapte virginis, vel vidue, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere: sed cuilibet parentes voluerint, excepto raptore, eam legitime copulent matrimonio: text. in Authent. de Raptis mulieribus, que raptoribus nubunt. collat. 9. Hodiè tamen de jure canonico, cui est standum in utroque foro, bene valet inter eos matrimonium: textus est in capitulo tria, & in cap. Denique 36. quæst. 2. text. capitalis & expressus in cap. final. de Raptoribus, cujus verba sunt: Accedens ad Apostolicam Sedem, & infra: rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat post modum in consensum, & quòd ante displicuit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitime sint persone, & ibi Glossa ordinaria, Innocentius, Hostiensis, Joan. And. Abb. & communiter DD. tamen est necessarium & satis quotidianum, an per tale matrimonium excusetur raptor à pœna mortis, & ab aliis pœnis de quibus in prædict. leg. unic. Cod. de Rapt. virgin. cum similibus? Et videtur quòd sic: quia in consequentiam videtur dispensatum in pœna Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

na, quia aliter parum prodesset validitas matrimonii.

Item etiam argumento text. cum materia in cap. 1. & 2. de Adulter. ubi habetur, quòd ille qui stupraverit virginem, cogitur eam ducere vel dotare: & ex hoc evitat pœnam legalem, ut suprà dixi & conclusi. Et in expresso ex isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Joannes Calderinus in diff. cap. fin. extra de Raptoribus, Augustinus de Arimino in diff. Additionibus ad Angelum de Maleficiis, in parte, che m'ai adulterato, column. 17. vers. An autem per consequens matrimonium, &c. & dicit se habuisse in questione de facto, & ita obtinuisse, quòd certè est summè notandum in practica: & ante eum tenet etiam Paulus de Castro in leg. Raptores, Cod. de Episc. & Cler. col. 2. ubi dicit se ita consuluisset: & per ejus consilium fuit quidam raptor liberatus à pœna mortis in civitate Mantuæ & ita ego judicavi & practicaui in hac civitate Salmanticensi, dum essem assessor cum iudice ordinario recusato.

Sed his non obstantibus in puncto juris ego teneo contrariam sententiam, imò quòd per matrimonium non excusetur à pœna ordinaria: quia considero quòd licet matrimonium valeat inter eos de jure Canonico cui est standum, tamen per hoc non disposuit aliquid jus Canonico, nec potuit disponere in terris imperii circa pœnam ipsius delicti impositam de jure civili: unde meritò teneretur raptor: nec obstat text. cum materia in leg. 1. & 2. de Adulteriis, quia posito quòd ejus dispositio servatur etiam in terris imperii, tamen loquitur & procedit in stupro, & delicto commisso sine vi: in quo videtur decens pœna imposita per illa jura canonica: secus tamen est in delicto atrocissimo raptus; quia in eo illa jura non loquuntur, nec esset condigna pœna: & in expresso istam sententiam & conclusionem videtur tenere Coepola Consil. 52. finali column. nam. 17. Fateor tamen quòd hodiè in nostro regno procederet prædicta opinio Joannis Calderini, & sequacium, attenda leg. 22. titul. 1. partit. 7. quæ secundum communem errorem & intellectum disponit, quòd facta pace & concordia inter partes non imponatur pœna corporalis pro delicto: unde stante illa lege posset procedere & practicari prædicta opinio in nostro regno, aliter verò nullo modo posset de jure procedere.

44 Circa quòd tamen utiliter & necessarivè quæro, si quis rapuit aliquam mulierem, vel sine raptu inventus sit cum ea taliter quòd contra eum probatur stuprum, an evitabit pœnam; si uterque eorum dicit & confitetur se antea contraxisse matrimonium? Et breviter dicendum



est quod sic: ista est Glossa singularis, & unica in jure in leg. penultim. Cod. de Fidejussoribus, in verb. Confessus, quam ibi ad hoc notant & commendant, Baldus, Angelus, & illam Glossam ad hoc dicit unicam Baldus, in leg. Quicumque, Cod. de Servis fugitivis, penultim. column. num. 24. illam etiam dicit unicam idem Bald. in leg. Eam quam, Cod. de Fideicommissis, column. 7. num. 24. illam etiam dicit unicam idem Bald. in leg. 1. de Confessis, 8. column. numer. 35. notat etiam & commendat idem Bald. in leg. 1. Cod. de Collusione detegenda, idem Bald. in cap. 1. §. Injuria, penult. column. numer. 18. de Pace juramento firmanda, in usibus feudorum, idem Baldus in cap. 3. loco extra de Præsumptionibus, Angel. de Malefic. in parte, che m' ai adulterato, column. 17. versic. Pone quod quidam juvenis, & ibi ejus additionator, illam etiam reputat singularem Joannes de Platea in §. Item lex Julia, de Adulteriis, penult. column. in fin. Institut. de publicis judiciis, Hippolytus in Cons. 61. penult. column. num. 36. Cœpola in Cons. 56. column. 1. Limita tamen & intellige prædictam Glossam & ejus conclusionem in simplici stupro & copula carnali sine raptore: secus tamen est in raptu, quia ibi apparent signa contraria confessioni. Item etiam secus est in simplici stupro, quando apparent aliqua signa contraria prædictæ confessioni, ut quia fœmina inventa est plorans, vel clamans: vel fortè qualitas personarum est valde dissimilis: ita in terminis tenent & declarant Bald. & omnes Doctores in locis supra citatis.

45. Advertendum tamen est, quod superiora habent locum & procedunt in virgine, vidua, vel honesta muliere: secus tamen est in publica meretrice, quia si quis eam rapiat vel per vim carnaliter eam cognoscat, non punitur aliqua pœna: textus est singularis in jure in leg. Verum, versic. 1. ff. de Furtis, cujus verba sunt: Et ideo etiam eum qui fores meretricis effregerit libidinis causa, & fures non ab eo inducti, sed aliis ingressi, meretricis res egesserunt, furti non teneri; an tamen vel favia vel vi teneatur, qui suppressit scortum libidinis causa? & non puto teneri, & ita etiam ex facto cum incidisset dixi, & ad hoc illum textum notant & commendant ibi Bartol. Alberic. Ang. & communiter DD. probat etiam text. in leg. Quæ adulterium, vers. fin. Cod. ad legem Jul. de Adulter. ubi habetur quod accessus carnalis cum famula vili & turpi existente in aliqua caupona, non est punibilis, cujus verba sunt: Hæ autem immunes à judiciaria severitate & stupri & adulterii præsentur, quas vitæ vilitas digna legum observatione non credidit; & ibi notant Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in l. unic. Cod.

de Raptu virginum, cum similibus, ubi expressè requiritur quod ad hoc ut raptus sit punibilis, oportet quod sit commissus in muliere virgine vel honesta, & in expresso per jura istam sententiam & conclusionem tenet Gloss. ordinaria in dict. leg. Una, Cod. de Raptu virgin. in glos. 1. & ibi Azo in Summa, Cinus, Alber. Bald. Ang. Salyc. & communiter DD. præcipuè Hippolyt. column. 5. num. 19. Gloss. ordinaria in §. Item lex Julia de Adulter. Institut. de public. judic. in Glossa finali, & ibi communiter Scribentes, Paulus de Grillan. in tractat. de Pœnis omnifariam coitus, quest. 10. princip. penult. column. num. 25. Quod tamen limita & intellige nisi jam desineret meretricari & honestè viveret, secundum prædictos DD. ubi supra. Secundo limita & intellige præterquam si talis meretrix sit nupta: quia tunc accessus ejus erit punibilis: ita Bald. in dict. leg. Una, Cod. de Raptu virginum, column. final. quest. 1. & ibi alii DD. in locis supra allegatis.

46. Duodecimò principaliter est punibilis accessus cum muliere nupta vel conjugata: nam si quis habet accessum ad aliquam mulierem nuptam vel conjugatam, committit adulterium: de quo principaliter intendo tractare.

47. Pro cujus perfecta declaratione, primò quæro quæ sit pœna adulterii? & resolutivè dico quod de jure antiquo fori non reperitur pœna determinata vel statuta, nec erat imposita pœna mortis: ita probat text. expressus in leg. Qui cum Uno, §. Adulterii, ff. de Re milit. ubi dicit text. quod reus damnatus crimine adulterii non est recipiendus inter milites: ergo sequitur quod per sententiam non erat imposita pœna mortis: quia aliàs frustrà quæreretur an esset recipiendus inter milites: & ad hoc notant ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. antiqui text. in leg. 2. §. 1. vers. Miles, ff. de His qui notantur infam. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. textus in leg. Miles, §. fin. ff. ad legem Jul. de Adulter. text. in leg. Claudius, ff. de His quibus ut indign. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in l. Si quis viduam, ff. de Quæstionibus, & ibi Bart. Alber. Din. & communiter DD. antiqui, text. in leg. Scio, ff. de Testib. & ibi Gloss. ordinaria & alii DD. de jure autem Codicis est imposita pœna mortis, tam in adultero, quam in adultera: text. est in leg. Quamvis, la 2. vers. final. Cod. ad leg. Jul. de Adulter. cujus verba sunt: Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet, & ibi tenent Gloss. ordinaria, Odofred. Cinus, Jac. Butr. Alber. Bald. Salyc. & communiter DD. de quo vide melius, quam alibi per Salycetum ibi, penult. column. num. 18. text. in §. Item lex Jul. de Adulter. Institut. de public. judic. de jure autem authenticorum talis pœna mortis

non imponitur mulieri adulteræ, sed alia mitior pœna: quia detruditur in monasterium, ut ibi perpetuè agat pœnitentiam, nisi maritus eam velit recipere infra biennium; in adultero verò pœna mortis non mutatur: text. est in Authentica, sed hodiè. Cod. ad leg. Jul. de Adulter. & ibi notant & tenent Glossa ordinaria, Odofred. Cinus, Jacobus Butric. Albericus, Baldus, Angelus, Salycetus, & communiter DD. text. in Authentica, ut nulli judicium. §. Si verò quando collat. 9. & ibi Bart. Angel. & DD. & per ista jura istam sententiam & resolutionem ponit Bartol. in leg. Si adulterium cum incestu, ff. ad leg. Jul. de Adulter. & ibi Angel. de Perus. & communiter DD. Faber, Angel. & Platea, in §. Item lex Julia de adulteriis, Institut. de public. judic. Innocent. & communiter Canonistæ in cap. Tua, de procurator, Hostiensis in Summa, extra de adulteris. 4. col. vers. Quæ pœna sit imponenda, communiter etiam Canonistæ in cap. Gaudeamus, de conver. conjugat. Angel. de Maleficiis, & ejus Additionator in part. chemai adulterato, column. 12. versic. Quæro quæ sit pœna adulterii: ubi dicit hanc esse communem opinionem, pro qua sententia & conclusione est lex notab. part. leg. 25. tit. 17. part. 7.

Hodiè tamen de jure nostro regio alia pœna imponitur, quia uterque tam adulter quam adultera per sententiam judicis ponitur in potestatem mariti, ut de is & de eorum bonis faciat quidquid velle: unde poterit eos occidere vel aliam quamlibet offensam vel injuriam inferre: textus est in leg. 1. tit. 7. lib. 4. fori legum, textus in leg. 2. tit. 15. lib. 8. Ordin. & ita quotidie in isto regno practicitur. Ne mirum quod talis pœna imponatur, cum de jure divino pœna mortis & lapidationis pro adulterio erat statuta: ut in cap. Hæc imago, & in cap. Satis 33. quest. 5. ex quo inferitur, quod cum maritus possit eos interficere, quod poterit eis quamlibet aliam offensam vel injuriam inferre, & sic poterit manus vel pedes, vel quodlibet aliud membrum abscindere; text. est notabilis in leg. Nec in ea, ff. ad leg. Jul. de Adulter. cujus verba sunt: Sed qui occidere potest adulterum, multo magis contumelia poterit eum jure afficere, & ibi ad hoc notant & commendant Bartol. Albericus, Angel. & communiter DD. & illum textum ad hoc notant & commendant Ang. Imol. & communiter Moderni in leg. In suis, ff. de Liberis & posthum. & ita probat expressè prædicta lex ordinamenti, in quantum dicit, faga del y de sus bienes lo que quisiere.

Dubium tamen est an ista pœna habeat locum in sponsa? videtur dicendum, quod sic: & in terminis ita probat textus in leg. Si uxor, §. Divus, ff. ad leg. Juliam de Adulter. cujus verba sunt: Divus Severus & Ant. rescripserunt, etiam in sponsam hoc idem vindicandum: quia nec matrimo-

nium quaecumque nec spem matrimonii violare permittitur, & ibi notant Glossa Bartol. Alberic. Angelus & communiter DD. text. in §. Si minor, ejusdem legis: textus in leg. Miles §. Quærebatur, eodem titul. textus in leg. Propter. Cod. eodem titul. text. in leg. 1. tit. 17. part. 7. Sed in hoc articulo ista est vera resolutio, quod in sponsa de præsentibus habeat locum pœna adulterii; in sponsa verò de futuro non, & in terminis ita tenet Bald. in dict. leg. Propter, & est de mente Bart. & DD. in dict. §. Divus, & in expresso ita disponit hodiè prædicta lex 2. titul. 15. lib. 8. Ordin. & tenet etiam Glossa ordinaria in cap. Si verò, el 1. de Sentent. excomm. in verb. Cum uxore, & ibi communiter DD. Unum tamen est, quod hodiè in nostro regno non potest maritus accusare unum sine alio, sed aut utrumque debet accusare, aut utrumque dimittere, ita disponit nostra lex 80. in leg. Tauri; facit etiam textus notabilis in leg. Cui pacto, ff. de Servis expor. ubi habetur quod ille qui pacto vel aliàs non potest intrare suburbia civitatis, non poterit etiam intrare ipsam civitatem: & ad hoc notant ibi Glossa Bart. & communiter DD. text. in leg. In actionibus, vers. 1. ff. de in litem jur. ibi, licuit enim ei, &c. text. in regula, non debet, ff. de Regul. jur. text. in regula, cui licet, de regul. jur. lib. 6. tradit Bald. in leg. Si quis, non dicam rapere. 1. col. Cod. de Episcop. & Cleric. & ibi DD. idem Bald. in leg. final. Cod. de Exhib. reis, idem Bald. in leg. 1. Cod. de Precor. latè moderni in dict. leg. In suis, Palac. Rubeus in sua repet. fol. 57. col. 1. §. 87. Ex quo datur declaratio ad legem 76. his legibus Tauri, qua cavetur quod virtute sententiæ & licentiæ judicis, possit inimicus propria autoritate interficere inimicum, ut possit etiam eum offendere, vel quamlibet injuriam inferre, & in expresso ita tenet Bartol. in dict. leg. Nec in ea, & prædicti DD. ubi supra. Nec obstat si dicatur quod in pœnalibus, & exorbitantibus non est licita extensio ex paritate vel majoritate rationis: quia isto casu propriè non sit extensio, sed virtualiter ex vi cujusdam necessariè comprehensionis, illud quod est minus continetur in majori, secundum Ang. Imol. & DD. in dict. leg. In suis, ff. de Liberis & posthumis.

Item etiam imponitur pœna amissionis honorum: in quo articulo resolutivè dico, quod de jure communi si agebatur civiliter ad thori separationem, mulier adultera perdebat dotem, & omnia alia bona sua, & applicabantur marito, & ita probat text. notabilis in leg. Consensu, §. Virum, Cod. de Repud. & ita tenent Glossa ordinaria, Retrus, Cinus, Ang. de Perus. & communiter DD. Gloss. ordinaria, Cinus, Alber. Bald. & communiter DD. in Authentica, sed hodiè. Cod. de Adulter. Paul. de Castr. ubi notabiliter loquitur in leg. Rei



judicatae. §. 1. col. 2. n. 2. ff. soluto matrim.

Unum tamen est, quod iudex secularis non potest ad hoc cognoscere, sed iudex tantum Ecclesiasticus; quia de matrimonio contrahendo vel dissolvendo non potest iudex secularis cognoscere principaliter nec incidenter: text. est in cap. Plerumque, de donat. inter virum & uxorem; & ibi tenent communiter DD. text. in cap. Lator, qui filii sint legitimi, cum simil. si verò agebatur criminaliter ad poenam, non perdebat dotem, sed praedicta mulier adultera detrudebatur in monasterium: & si maritus intra biennium eam non recipiebat, vel mortuus sit, tunc perpetuo debebat ibi remanere: & bona sua dividantur isto modo, quod liberis extantibus duae partes applicantur eis, & tertia monasterio: liberis verò non extantibus, sed parentibus tertia pars eis applicatur, & duae monasterio: liberis verò, nec parentibus extantibus, omnia bona applicantur monasterio: ita disponit text. in dict. Authent. Sed hodie. Cod. de Adulter. & in leg. 25. tit. 17. part. 7. Hodiè tamen in nostro regno si agatur civiliter nihil est immutatum, sed idem servabitur quod disponebatur de jure communi: si verò agatur criminaliter, jus commune est immutatum quia tam adulter quam adultera debent poni in potestate mariti, ut de eis & eorum bonis faciat quidquid velit, modò habeant liberos, modò non: ita expressè disponit praedict. lex Ordinam. 2. tit. 15. lib. 8. Ordinam. licet per leg. 1. tit. 7. lib. 4. for. 11. erat dispositum quod extantibus liberis bona non applicentur marito. Sed attende quod hodiè per legem 82. in legibus Tauri confirmatur praedicta lex fori, & aliud non potest dici nec teneri in iudicando & consulendo. Quid autem si maritus propria auctoritate occidat uxorem & adulterum in flagranti delicto, an lucretur dotem vide infra in propria quaestione.

48. Secundo principaliter, quæro si matrimonium non valeat nec teneat inter maritum & uxorem ex aliqua causa puta consanguinitatis, vel alia: & uxor commisit adulterium, an isto casu puniantur poena adulterii, tam ipsa, quam adulter, ac si matrimonium valeret: Et breviter dicendum est quod de jure communi bene tenebatur poena adulterii, quia etiam matrimonium putativum non licet violare, & maritus poterit eos accusare, non jure mariti, sed tamquam extraneus: & similiter poterit eos accusare quilibet de populo, cum sit delictum publicum: textus est notabilis in leg. Si uxor. §. Divus, vers. Sed si ea sit mulier cum qua incestum commissum est, vel ea quæ quamvis uxor omnino haberetur, uxor tamen esse non potest: dicendum est jure mariti accusare eam non posse, jure extranei posse: & ad hoc notant & commendant ibi Bartol. Alber. Angel. &

communiter DD. Ex quo deducitur & inferitur quod non poterit maritus propria auctoritate eos occidere, etiam repertos in flagranti crimine: text. est in leg. Mariti. §. final. eodem tit. ibi: & rectius dicitur eos jus occidendi habere qui jure patris, maritve accusare possunt, & ibi tenent Bartol. & communiter DD. facit etiam text. in Authent. de nupt. §. Si verò ab initio, collat. 4. & ibi notant communiter DD. tenent etiam Bart. & alii DD. in l. penultim. §. final. ff. ad Municipalem, contra Glos. ibi.

Secundo inferitur quod non lucrabitur maritus dotem propter adulterium uxoris, ita tenet Glos. ordinaria in leg. Consensu. §. Vir quoque. Cod. de Repud. in verb. Sibi habere, vers. Item quid dices, quam ibi sequitur & approbat Salycet. & communiter alii DD. Paulus de Castr. Alexand. & ceteri Scribentes in leg. Si cum dotem, §. final. col. 2. ff. Soluto matrimonio. Contrarium tamen tenet expressè Glos. ordinaria in cap. Plerumque, de Donat. inter vir. & uxor. in glossa magna, in fine, ubi dicit quod isto casu maritus lucretur dotem, quam ibi sequuntur & commendant Innoc. Hostiens. Joann. Andreas, Anton. de Butr. Cardin. Anchar. Abb. & communiter DD. Sed concordari possunt isto modo, quod Glossa & communis opinio in dict. cap. Plerumque, loquitur quando maritus egit contra uxorem ad separationem thori, & dotem lucranda propter adulterium, & lata sit sententia in favorem mariti, unde licet postea vult uxor dotem repetere, ex eo quod dicat matrimonium fuisse nullum propter aliquod impedimentum, non sibi proderit propter auctoritatem rei judicatae & propter alias rationes, de quibus per DD. ibi; Glos. verò in dict. leg. Consensu. §. Vir quoque, loquitur & procedit quando uxor principaliter egit ad separationem matrimonii propter affinitatem vel consanguinitatem, & fertur sententia in qua declaratur matrimonium esse nullum, & maritus vult retinere dotem propter adulterium, quia non poterit quia verum non fait inter eos matrimonium, nec ex eo aliquod commodum vel privilegium tamquam maritus consequi debet: & in specie ita dicunt & concordant Joann. Andr. Anton. Anchar. Card. & alii DD. in dict. cap. Plerumque de donat. inter virum & uxor. Ex quibus patet quod aperte deceptus est Doctor. Palac. Rubeus in isto passu in rubr. de Donat. inter vir. & uxor. fol. 19. col. 1. num. 3. fol. 35. ubi praedictam Glos. allegat pro concordantibus, cum in veritate sint invicem contrariae. Hodiè tamen in nostro regno contrarium decisum est, imò quod licet matrimonium ex aliqua causa non valeat, maritus possit accusare uxorem & adulterum: & sic ambo mittentur in potestatem ejus, ut possit de eis, & bonis eorum facere quidquid vellet, ac si matrimonium valeret:

ret: & per consequens poterit eos propria auctoritate occidere, si reperit eos in flagranti adulterio; tandem omnis illa poena quæ habet locum contra adulteros, quando matrimonium valet, & tenet, habet etiam locum quando matrimonium propter aliquam causam de jure non valeret: ita expressè disponit hodiè lex 81. infra his legibus Tauri, & ista est ejus vera & propria dispositio. Quam tamen legem intellige, quando matrimonium non valet propter aliquod legitimum impedimentum consanguinitatis vel affinitatis; secus verò si propter defectum consensus: ita probat ista lex, & probat textus in cap. ad dissolutionem. de Spon. impub. & ibi notant Abb. & communiter DD. & tenet Cifuentes hic & Doct. Castillo: ex quo inferitur quod si per vim contraxit, non potest accusari de adulterio. Item infero quod si contraxit in minore ætate, & postea commisit adulterium antequam confirmaretur matrimonium, non potest postea accusari. Confirmatur etiam, quia fortius est matrimonium contractum inter prohibitas personas, quam ex defectu consensus: quia primo casu non fit separatio absque iudicio Ecclesiae, & oritur publicæ honestatis justitia: textus est singularis & unicus in cap. Porro de divort. secundum Abb. & alios DD. ibi: Secundo verò casu non, quando matrimonium est nullum ex defectu consensus: textus est in cap. accessit. de Sponsalib. impub. textus in cap. Uno, eodem tit. lib. 6. & facit textus in cap. Cum locum de Spon. textus in cap. Venient, el 2. eodem tit. textus notabilis in cap. Significavit, de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.

49. Tertio principaliter quæro, quis possit accusare de adulterio? Et breviter, & resolutivè dico quod maritus poterit accusare jure mariti, hoc est, cum privilegio & qualitate mariti, ut infra sexaginta dies post commissum delictum præferatur omnibus aliis accusatoribus. Item ut possit accusare sine metu calumniae. Item ut non teneatur se inscribere ad poenam talionis: postea autem poterit accusare maritus non jure mariti, sed tamquam extraneus, cum sit delictum publicum: imò tunc inter extraneos præferatur maritus, quia propensione, jure, & dolore venit ad accusandum: textus est in leg. 1. §. Marito. ff. ad legem Juliam, de Adulter. text. in leg. 2. §. final. eodem tit. text. in leg. Si maritus, la 1. §. 1. & finali, eodem tit. text. in leg. Is cuius, §. ex Senatusconsulto, eodem tit. text. in l. Miles. §. 60. textus melior & expressior cæteris in leg. Jure mariti. Cod. ad leg. Juliam de Adulter. cujus verba sunt: Jure mariti adulterii accusare volenti sexaginta dies utiles computantur, quibus in publico ejus facultas fuerit, apud quem reus vel rea postulari potest: & cum præterierint dies isti utiles, maritus quoque jure extranei agere potest, & ibi Glos.

ordinaria, Odofred. Petrus, Cin. Jacob. Butric. Bartol. Alberic. Baldus, Angel. Salycet. & communiter DD. Azor. in Summ. illius tit. col. 1. num. 5. Hodiè tamen de jure novo Codicis, hoc immutatum est, quia quilibet de populo non potest accusare, sed tantum maritus, pater, frater, patruus, & avunculus ipsius mariti, vel ipsius adulteræ: cujus ratio est ne cuilibet liceat temere fœdare matrimonia: textus est Imperatoris Constantini, in leg. Quamvis la 2. ad legem Juliam de Adulter. & ibi notant Jacob. Butric. Cinus, Bartol. Angel. Salycet. & communiter DD. licet Glossa & aliqui DD. ibi vellent quod imò post istos conjunctos quilibet extraneus possit accusare: & pro illo textu & communi opinion. est hodiè lex 2. tit. 17. part. 7. Hodiè autem de jure nostro regio nullus potest accusare, modò sit extraneus, modò conjunctus, sed solus maritus: ita disponit textus in leg. 3. tit. 7. lib. 4. for. legum, quæ in hoc communiter practicatur. Advertendum tamen est quod praedicta lex fori dicit, quod nullus admittitur ad accusandum, quando ipse maritus non vult accusare, nec vult quod alius accuset: ergo eo casu quo non constat de ejus contradictione, puta, quia sit absens, vel furiosus, bene posset alius accusare, saltem conjuncta persona, de quibus supra diximus; & hoc casu non sit correctæ dispositio textus in dicta leg. Quamvis, pro qua sententia & conclus. bene facit textus notabilis in leg. Sed & si unius. §. Ait prætor, cum §. sequenti. ff. de Injur. ubi habetur quod si filiofamilias sit facta injuria; quæritur patri, & filius non potest agere si pater remittat; sed si sit absens, potest filius agere: quia præsumitur quod si esset præsens, ageret & accusaret; sed hoc non obstante ego teneo contrarium, imò quod indistinctè hodiè nullus possit accusare adulteros, nisi solus maritus, modo maritus taceat, modo contradicat, modo sit absens, modo præsens, per rationem præd. legis fori, & præd. leg. Quamvis, & ita communiter practicatur. Unum tamen est quod licet alia delicta publica non præscribantur minori spatio 20. annorum, ut in l. Querela. Cod. de Fals. tamen istud crimen præscribitur per quinque annos, & ulterius non potest fieri accusatio: textus est in leg. Mariti. §. Præterea, & §. Hoc quinquennium. ff. ad l. Jul. de Adulter. text. in leg. Quinquennium, eodem tit. & idem disponit, lex 4. tit. 17. part. 7. unde videtur dicendum, quod hodiè poterit accusare infra quinque annos jure mariti, cum nullus extraneus admittatur.

50. Quarto principaliter quæro qualiter probetur adulterium? in quo articulo breviter & resolutivè dico, quod si testes fidedigni deponant se vidisse eodem loco & tempore adulteros com-